

## Ertman S. 51.

mentis pape, Benedictiabbatis et tocius curie celestis fundavit; in alia vero parte castrum pro se et suis successoribus episcopis Osnaburgensibus construxit. Et ne sibi imputari posset, quod de bonis episcopi Osnaburgensis ad episcopium vel ecclesiam suam spectantibus hanc structuram pro monasterio fundando tanquam de non suo faceret sive alienaret, ipse venerabilis pater quoddam predium a nobili vidua Cunissa acquisivit nomine Honwide quod concambio dedit pro eodem.

## Vita Bennonis cap. XVI.

viribus pene homines excedens, plurima cum Francis ex hoc loco, cuius tunc dominus fuit, praelia commisisse refertur. Sed rege hoc devicto totaque Saxonia in fidem christianam et ditionem Francorum redacta, cum imperatori supradicto regnique primatibus communi placuisset consilio, ut universa gens Teutonica aequali conditione sub uno semper rege parili subiectione consisteret exindeque per omnes regni terminos pacis communione transfusa ecclesias construere et ad vitandas seditiones castella diruere firmiter statuisset imperiale decretum, inter caeteros qui tunc longe lateque sunt diruti etiam hunc nostrum montem constat in solitudinem fuisse redactum. Ipse vero mons inter duos rivos loco iucundissimo situs versus orientem habet colliculum Hagenbergh dictum et destructa quaedam burgmannorum habitacula, versus meridiem rus et ericetum Sutheide, versus occidentem diversos colles et versus septentrionem monte maximo concluditur. Suberant illic habitantes curae spirituali plebani ecclesiolae Glanensis; parvum tamen sacellum prope dirutum castrum extabat, in quo aliquoties per annum divinorum solemnia gerebantur et dirutum hoc castrum, in quo fundatum hoc monasterium ad episcopatum